



P R A E F A T I O.



*d literas me rursum accedere,
atque in publicum quasi
iterum prodire mirabun-
tur, ac stupebunt, quot-
quot carissimam Conjugem meam & novē-
re, & aliquo ante tempore mortuam resci-
vēre. Utique (O ineluctabile fatum!)
obiit socia mea, ocellus meus, dextera mea,
cor meum, vita mea, anima mea, ego-
met ipse meus, suavissima, ac melliflua*

)

BER-

P R A E F A T I O.

BERNARDINA (*) mea. Obiit
(quis talia fando temperet à lacrymis?)
una mea, sola mea, tota mea, pulchritudo
mea, thesaurus meus, amor meus, mundus
meus, spes mea, salus mea, lux mea, Musa
mea, deliciæ meæ, præsidium, ac dulce decus
meum. Obiit, quæ me lætum lætificabat,
quæ me moestum solabatur, quæ depresso
erigebat, quæ agitatum emolliebat, quæ
studiis sepultum resuscitabat, quæ novos spi-
ritus juggerébat, quæ non muliebri, sed
masculo colloquio usque oblectabat, quæ
miris excelsi ingenii dotibus amorem indies
augebat, quæ omnem rei domesticæ curam
ut mulier fortis gerebat, domumque nostram
regebat amicissimè. Obiit, cuius vitæ pro-
bitas, puritas morum, ac summa conscienc-
tiæ

(*) E Familiâ DE HEINSBERG.

P R A E P A T I O.

tiæ teneritudo mibi sæpe sæpius non tantum
exemplo, sed & duci fuit. Obiit, quæ vi-
gesima primâ Octobris 1760. me marita-
vit, & secundâ Junii 1763., prô dolor!
viduavit. Obiit, quæ mibi bina carissima
amoris pignora, filiolam, & filiolum, heu ni-
mis intempestivè reliquit. Obiit, quæ dig-
na quidem Cælis, sed adhuc tellure morari,
ac copiosioris me prolis facere potuisset paren-
tem. Dii boni? Quis is mibi obitus, jactu-
ra qualis, detrimentum quantum! Num
spiritus adhuc hos regit artus! Num ullæ
vires suppetunt! Num mens operari apta!
Num manus calatum tenere valida! Num
superest, quod delectare queat! Verum si fa-
tear, in hunc usque diem nauseant profectò
omnia: nauseat domus, nauseat forum:
nauseat urbs, nauseat rus: nauseant horti,
nauseant campi: nauseant sylvæ, nauseant

P R N F A T I O.

prata: nauseant sive tempestivæ, sive intempestivæ Advocatorum, Procuratorum, ac litigantium sollicitationes: nauseant consolabilia proximorum, atque amicorum colloquia: nauseat universus, quid latè patet, orbis, nauseant ipsæ usque adeò Camoenæ.

Siste! Nauseet vanitatum vanitas; modò ne dulces ante omnia Musæ nauseent. Præter DEUM consolatorem (ut Ecclesia canit) optimum, ac summum in fletu solatium, hæ, hæ unæ, ac solæ sunt, quæ infandum dolorem lenire, afferre, quidquid restat solaminis, atras animi nubes dissipare, componere motos cordis fluctus, condensatos lacrymarum imbres cohibere, superare immensum tristitiarum Oceanum, pallidas terrorum effigies reponere, vivificare exanimem spiritum, mentisque quietem quodammodo

P R A E F A T I O.

modo reducere & valeant & debeant, prout
jam tum agnovit magnus Medicus, ac Phi-
losophus Norimbergensis Godofridus Jacobus
THOMASIUS, dum referente Domino
DE LOEN (*) imagini THOMÆ
KEMPENSIS hanc epigraphen insculpi
curavit: Overal heb ick Ruste gezoeckt,
maer nergens gevonden, behalven in een
hoexken met een Boexken: *id est: ubi-*
que requiem quæsivi, haud tamen inveni,
nis in angulo cum libro. Has ne averse-
mur, has ne fugiamus, ab his ne decline-
mus, quin potius ad eas, quæ liberrimum
cuique aditum concedunt, aspiremus, eas
anhelemus, ab iis necessarium solatum &

X4

spere-

(*) In freien Gedanken zur Verbesserung der
menschlichen Gesellschaft, Stück XXIII.

P R A E F A T I O.

speremus, & petamus, cum QUINTI-LIANO (*) postremi filii sui, unius, ut ait, spei ac voluptatis mortem deplorante concludentes: Sed vivimus, & aliqua vivendi ratio quærenda est, credendumque doctissimis hominibus, qui unicum adversorum solatium literas putaverunt. Propositum firmum est. Quid igitur? Opus, quod vivente adhuc Uxore adorti fuimus, urgente Typographo perficiamus, atque ita ad magnum BALDUINUM sermonis elegantia, excellentia doctrinæ, eruditionis immensitate, ac pietatis magnitudine plenum revertamur.

Cum nuper Historiam Carthaginensis Collationis, sive Disputationis de Ecclesiâ Catholicos inter, & Donatistas olim habitæ,
quæm

(*) Institut. Orator, Lib. VI. in Proœm.

P R A E F A T I O.

quām BALDUINUS Lutetiae Parisiorum anno 1566. primam edidit, recudi curarem; promisi me plura daturum fore. Promissis nunc sto, ac sisto binas Responsiones à BALDUINO ad CALVINUM, & BEZAM datas, quarum prima anno 1564. Coloniæ apud Wernerum RICHUINUM, & altera anno 1562. Coloniæ apud Joannem BATHENIUM prodiit. Qui factum sit. ut Responsiones hæ nullibi, nisi Coloniæ, BALDUINO tum temporis in Urbe, id est, Lutetiae Parisiorum de gente prodierint, atque altera primam præcesserit, memorare nullus valeo. Adèò namque oblitterata est earundem memoria, ut nec Bibliopola Lipsiensis Theophilus GEORGI (*) qui magnum cæteroquin Literariæ

(*) Im allgemeinen Europäischen Bücher-Lexico I. Blatt. 87. Theil. voc. BALDUINI.

PRÆFATI^O

Reipublicæ beneficium præsttit, inter scrip-
ta, seu opera FRANCISCI BALDUL-
NI ambas Responſiones recenſeat, nec nu-
perus Apostata ad CALVINI caſtra trans-
gressus in Dissertatione (*) Theologicâ Elench-
ticâ de Doctrinâ Traditionum, seu verbi
non scripti, quā Recessum ſuum non Re-
cessum ab Ecclesiâ, ſed ab Ecclesiâ Romano-
Pontificiâ eſſe, jactanter defendit, ullam Re-
ſponſionum de Scripturâ, & Traditione ex
professo, ut loquuntur, tractantium men-
tionem faciat, nec plurimi Theologi (pudet
quidem referre, ſed veritatem quis inficiari
auſit?) eas noſcant, multò minùs poſſe-
deant. Aures apprehendens antefor heic
omnes & ſingulos (infinitum ferè numerum)
cum quibus vel de BALDUINI Respon-
ſioni-

(*) Habita Harderovici die 25. Martii a. c.

P R A E F A T I O.

scriptionibus colloqui, vel apud quos, licet invatum, eas requiritare mihi datum fuit.

Vobis quidem Viri cujuscunque Ordinis, dignitatisque Reverendi & Reverendissimi debitae, obsequiosissimas, humillimas, imò & maximas, quas possum, gratias ago, qui non tantum secretissimos vastarum Bibliothecarum vestrarum angulos, nemini multis abhinc annis fortasse cognitos perquisivisti, sed etiam celebres vicinorum Bibliothecas vel ipsimet adiustis, vel ab aliis visitari curasti, insuperque omnem impendisti operam, quo desideratis à me Responsionibus potiremini. Interim (quod pace vestra aetum sit, & venia, qui me obruunt, impetribus) condonare valeo, neque antecessoribus vestris, quod ad instar reliquorum thesaurorum, memorabiliumve antiquitatis

monu-

P R A E F A T I O.

monumentorum scripta BALDUINI
vobis haud reliquerint, sed vel sibi ē mani-
bus eripi, vel à tineis, blattisque absumi-
passi fuerint: neque vobis, quod ante \mathfrak{T} sine
me Scriptorem, ut ut juris peritum, de præ-
cipua tamen Fidei nostræ materia agentem
hucusque ignoraveritis, gemmāmque pre-
tiosissimam comparare neglexeritis. Vobis-
met ipsis non ignosceretis, si sciretis, quanti-
ponderis, ac pretii thesaurus sit, qui non-
dum inventus jam à me vobis, \mathfrak{T} quidem
maximo cum gaudio recluditur. Priusquam
itaque accedatis, discite ex illustri Domino DE
LUDEWIG (*) qui docet Calvinum
nullius linguam, stylum, & eruditionem
magis horruisse, quam hujus Atrebatis, id
est BALDUINI, familiaris quondam
sui.

(*) In vitâ BALDUINI Cathechesi juris præ-
missa. p. m. 33.

P R A E F A T I O.

VI
ni
ni
ne
e.
m
re
s-
i-
n-
m
m
DE
n
n
id
n
e-

ui. *Discite, quæ idem LUDEWIGIUS* (*) *porro memorat:* Hinc in **GERMANIAM** ad *Melanchthonem & Bucerum*, *dein GENEVAM ad Calvinum & Bezan* profectus, ab his novarum sectarum auctoribus, & defensoribus intellicere voluit, quas ob causas à Romanæ, veterisque Ecclesiæ castris discessissent, quorum impia commenta, depravataque Opiniones improbans *Calvinum* imprimis ajebat sibi displicuisse *ob seditionem, turbulentumque ingenium*, quod in eo deprehendisset. *Discite nec temnere Jureconsultos, quorum humeri quandoque non minus, ac vestri Religionem ferre valent, prout inter cæteros quoque comprobatum dedit sublimissimus FABER*, (**) *qui primos Fidei nostræ*

(*) cit. loc. p. 30.

(**) in Cod. Lib. I. Tit. I.

P R A E F A T I O.

*nostræ articulos tam scitè pertractavit,
quàm catholicè propugnavit.*

Dum magnum Antonium FABRUM
nomino, non possum non, quin ad alium
FABRUM (*) convertar, ac publicè per-
fectissimas, immortalésque gratias persol-
vam ei, cuius maximæ liberalitati, ac mu-
nificentiae non tantùm præsentes Responsio-
nes, verùm etiam insuper varia BALDUI-
NI Opera juridica gratissimus debeo. Verè
FABRE maxime! præstitisti mihi bene-
ficium, quale requirit Philosophorum Prin-
ceps, sapientissimus SENECA. (**) Nunquam vidisti me, nunquam novisti me,

nec

(*) Puto perillustrem Dominum De FABRE
Augustissimæ Imperatricis, ac Reginæ Apo-
stolicæ Secretarium Legationum.

(**) de Beneficiis Lib. II. Cap. i. & Lib. IV.
Cap. 14.

P R A E F A T I O.

nec in hunc usque diem, nisi nomine tenus
noscis, nec reciprocum beneficium à me ex-
spectare potes. Nihilominus quamprimum
ab Affine meo vel compereras, me quibus-
dam BALDUINI operibus & carere, &
indigere quād summopere, mox præstò eras,
& procurare dignabar ea, quæ cum LU-
DEWIGIO anxiè, & multo studio in-
variis Europæ angulis perquisiveram. Be-
neficium verissimum simul, ac maximum,
cujus memoriam in me nunquam interire
patiar. Unicum est, quod reddere, quod
retribuere queam. Gratum tu animum,
pronamque voluntatem, non ut solvisse me
putes, sed ut securiorem debere credas, ac-
ceptato, sed & insimul omnem tibi fructum
vendicato, quem præsens Responsionum pro-
feret Editio.

P R A E F A T I O.

Ea (quod monendum restat) non tantum distincto, ut nunc moris est, charactere, sed et aliis Typographiae gaudet ornamentis, quæquo Typus moderno genio magis conveniret, ad biberi jussimus, insuperque græca in latinum transferri curavimus, quosdámque asteriscos majoris tum commoditatis, tum claritudinis gratiâ miscuimus. Dusseldorpii Anno Luctûs.



R E S P O N-